



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

**Processus Juridicus contra sagas & veneficos, Das ist:
Rechtlicher Proceß/ Wie man gegen Unholdten vnd
Zauberische Personen verfahren soll**

Goehausen, Hermann

Rintellii ad Visurgium, 1630

VIII. An plurium Complicum nominationes sufficere poßint ad
condemnationem

[urn:nbn:de:hbz:466:1-64982](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-64982)

sufficiat ad torquendum. 138

locat in *d. q. 1. concl. 1. in prin. & sine.* satis consentiat.

Ego sanè Judicem ad id non hortarer, neq; etiam existimo ei absolutam seu amplissimam in hoc crimine arbitrandi facultatem relinquendam esse, *de quo dicam pluribus in subseqq.*

QUÆSTIO VIII.

An plurium Complicum nominationes sufficere possint ad condemnationem?

Sunt ex *Itis* nonnulli, qui *pluriū* denuntiationes etiam sufficere ad condemnationem existimant, pro qua sententia à *Delrio lib. 5. in append. 2. q. 1. concl. 2. vers. probatur auctoritate tenentium.* & à *Farinaccio prax. crim. lib. 1. de indic. & tort. tit. 5. q. 43. n. 71.* citantur *Antonius Gomezius tom. 3. var. resolut. tit. de probat. delict. n. 18.* *Ludovicus Peguerius decis. crim. 5. num. 18.* itemq; *Castrensis, Decianus & Cravetta;* quibus novissimè consentit etiam *Lessius lib. 2. c. 30. n. 39. de j. & j.* ubi ait: *in huiusmo-*

di exceptis criminibus, depositionem socii non solum esse sufficiens indicium ad torturam, sed etiam esse semiplenam probationem: & accedente alio socio, qui idem deponat, esse plenam probationem, & posse reum condemnari, ut docet Cynus in L. ult. C. de accusat. & Panormitanus in c. i. de confess.

Quam verius & æquius diligentissimus rerum criminalium scriptor Farinacius d. q. 43. n. 29. & 75. Nec verum est inquit quod in delictis occultis & difficultis probationis socii criminis, tanquam omni exceptione maiores, si unus sit, sufficiat ad torturam, etiam sine adminiculis; si verò plures, ad condemnandum, quicquid contrarium dixerint Doctores citati: Veritas est quod etiam in occultis, unus testis non facit indicium ad torturam, nisi sit omni exceptione maior, vel nisi adiuvetur aliis adminiculis. Non etiam verum est, quod tales socii criminis, tanquam testes omni exceptione maiores, plenè convincant. Quare cum Farinacio probamus illorum sententiam, qui asserunt propter solas denunciaciones Sagarum sive strigum, quantumvis multiplicatas, nunquam posse ullam personam

lonar

sonam denunciata, quæ ex aliis specialibus indiciis de crimine suspecta non est, non confessam damnari aut extremo supplicio affici.

Quæ est contra *Dd.* superius relatos communior sententia, quam præter *Farinacium* in hac ipsa materia defendit etiam *Delrio lib. 5. disq. Magic. sect. 5. n. 4.* ubi ait. *Quantum vis multiplicentur depositiones personarum infamium & complicum, non est procedendum iudici ex his solis ad condemnationem.* Et *Farinacius d. q. 43. num. 39.* eandem vocat *communem* Doctorum opinionem, pro qua speciatim adducit *Marsilium, Boerium, Baldum, Clarum in pract. §. fin. q. 21.* Atq; est hæc assertio tam evidens, ut in meridiana luce velle cæcutire videantur, qui hic obloquuntur.

Jam antea *in quest. præced.* ostendimus *condemnationem* debere inniti *iudiciali certitudini*, unde ad condemnandum luce meridiana clariores probationes requiruntur. *L. fin. C. de probat. c. sciant. 2. q. 8.* Et ergò rectissimè inferitur, ex solis depositionibus & testimoniis complicum nunquam ius

134 *Quest. VIII. An plurium nominæ.*
dici procedendum ad condemnationem
V. Menoch. i. *presumpt.* 88 & 89. Jul. Clar.
d. §. fin. q. 21. siquidem denunciations hæc
quantumvis multiplicentur, illam tamē
certitudinem non pariunt, qualis ad con-
demnationem requiritur; verum enim
verò, quia plurium denunciationū mul-
tiplicatione crescit *probabilitas*, eò quod
singulæ non nihil probabilitatis habent,
sicuti in *quest. seq.* dicemus pluribus, hinc
quoad torturam diversum iudicari debet,
siquidem hæc innititur tantum *verisimi-*
litudini & probabilitati. Unde & ad illam
propter indicia legitima iudex procedere
potest.

Adscribam in hanc rem quæ ipse Del-
rius habet *d. lib. 5. in append. 2. q. 1. concl. 2.*
vers. ne quis autem me mihi ipsi obiiciat. Cum
enim ipse *citato loco lib. 5. sect. 5. n. 4.* in ter-
minis *condemnationis* ostendisset, nunquã
ea, quæ natura sua sunt dubia, posse rem
facere indubitata (adeoq; nec multa
argumenta probabilia, quantumvis con-
glomerata, parere certitudinem) sicut
nec multa ægra unum sanum, &c. istud
ne

ne ei, in terminis *torturae* asserenti, ex plurium nominatione huic locum esse, obstaré videatur, eleganter præmemorato loco, *lib. 5. in app. 2. q. 1.* his verbis remouet ac explicat.

Ne quis autem, inquit, me mihi ipsi obiiciat, quod libr. 5. Magicarum disquisit. sect. 5. S. quarto quantumvis: tenuerim contra multorum præxim, quantumvis multiplicentur depositiones infamium & complicum, nunquam iudici procedendum ex his solis ad condemnationem: ubi utor argumento isto Mascardi, & multa produco, quæ cum sint imperfecta, nequeunt simul omnia unum perfectum producere, v.g. multa venialia, unum mortale, multa ægra, unum sanum, multa non alba, unum albū, multa tepida unū calidum, &c. quādo res non sunt subordinatæ ad unum finem natura sua, sicut una depositio natura sua non subordinatur alteri, quo igitur pacto nunc assero

duas nominationes invicem firmare, si non subordinatur invicem? Huic objectioni occurro, reddita diversitate rationis cur aliud obtineat in depositione plurium inhabilium quoad condemnationem, & in eadem aliud quoad torturam, singulæ in ordine ad condemnationem sunt planè ineptæ ad hunc effectum, nec ad eum subordinantur, quia condemnatio debet inniti iudiciali certitudini, quam quia tales nunquam possunt gignere, neque ad hoc intelligendæ subordinari. Singulæ vero nostræ nominationes infamium non sunt, prorsus ineptæ ad questionem, sed ad hanc singulæ tantum sunt infirmæ & secundum quid ineptæ, quia tortura innititur tantum verisimilitudini & opinioni, quam singulæ possunt aliquam, licet qualem qualem gignere, atque ideò ad hunc finem censetur invicem subordinari, & adminiculari. Et ista ratio confirmatur exemplis à me positis, in quibus inest privatio rei ad quam producendam deberent concurrere, ut in tepido est privatio calidi potius quam calor

im.

inbecillus, in non albo albi contradictio,
in ægro privatio sanitatis: at veniale pec-
catum specie distinguitur à mortali. Re-
ste igitur illic aliud tenui de condemna-
tione, aliud nunchic respondi de tortu-
ra: neque ista secum pugnant.

Hactenus Deltio; cujus verba quo-
niam eleganter hanc & quæstionem se-
quentem illustrant subiicere placuit. E-
quidem etiam tantò libentius, quod inde
*Viri cuiusdam celeberrimi, amici mei singula-
riter dilecti*, cuius iudicio plurimum alias
tribuere soleo, obiectio spontè concidat;
admonuit ipse me per literas, ne tantum
fidei (scilicet ad effectum torquendi; etenim
hoc tantum & non aliud hactenus de-
fendi quam ex plurium nominatione pos-
se iudicem ad torturam procedere) Saga-
rum confessionibus tribuerem, siquidem
inquit ille, Exceptio quod Rei confessi &
conversi non amplius pro mancipiis ma-
ligni Spiritus sint habendi, atque ita illis
tutò credi possit, non solum est contra
mentem Doctorum à Cothmanno 3. con-
sil. 4. n. 64. & 65. allegatorum, sed etiam

ipſius iudicis impugnat conſcientiam
nam iudex debet in criminalibus luce
meridiana clariores probationes habere,
niſi velit fauciata conſcientia fluctuando
pronunciare; Unde verò certò iudici cõ-
ſtare poteſt, veram & non potius fucata
eſſe conſcientiam Sagarum: iſtud qui-
dem ex Canone charitatis ſic ſtatuímus
veruntamen exinde alius capitalem ferat
ſententiam, me non habebit applauſo-
rem &c.

Neque me, *Vir amice Clariffime*, quis
hactenus in eo applauſorem habuit, nec
deinceps habebit. Quod verò defendi ex
plurium complicum nominatione iudi-
cem poſſe perſonam nominatam *torturae*
ſubiicere, inde *de condemnatione* perinde
me ſtatuerè voluiſſe, nemo prætertim *a-*
micorum meorum, mihi affricabit; quin
magis; quia expreſſè ſcripſi *ad torturam*
tantum ex hiſce nominationibus multi-
plicatis iudicem procedere poſſe, tatis
apparet, *de condemnatione* id me negare,
cæteroquin ſi *de condemnatione* illud pub-
licè docuiſſem, nimirum ad hanc *plurium*
nominat.

nominationes sufficere, tantò magis idè
de *tortura* me iudicasse, optima conse-
quentia quis collegisset, veluti *Gomezius*
de quos in *prin. quest. huius*, laudavi, quia
plurium nominationem ad *condemnationem*
sufficere existimarunt, non potuerunt
non affirmare, eandem quoque ad *tortu-*
ram sufficere; quin fortius, ut constaret
gradatio ac de casu ad casum collectio in-
de *unius* nominationem ad *torturam* suffi-
cientem esse scripserunt; nimirum verum
est illud, quod alibi *Aristoteles* ait, uno
dato absurdo, alia porrò consequi.

Unde nec latis exputo quomodo *Vir*
ille Clarissimus sententiam istam à me de-
fensam impugnare, nisi quod existimo,
hoc dicere ac inferre, voluerit; Non suf-
ficiunt nominationes plurium Sagarum,
etiam *pœnitentium*, ad *condemnationem*,
Ergò neq; ad *torturam*; Etenim de hac mea
tuit quæstio, quam proindè eiusmodi illa-
tione negare voluit aut debuit: Sed iam
ante in *quest. præced.* ad hanc consequen-
tiam satis respondi, quo me remitto, &
insuper illam enervant *Delvii* verba præ-
citata. Et

Et addo hoc, quod *Doctores à Cothmanno citato responso. 4. n. 64. & 65.* allegati, loquantur in terminis diversis; Fateor certi juris esse, quod criminolus & infamis, etsi confessionem suam Sacerdoti constanter edat, corde appareat contrito, & sacræ cœnæ sumptione & perceptione testimonium suum prius repetat & stabiliat, nihil tamen inde suspicionis sinistrae contra homines bonos & honestos excitari & oriri: Fateor insuper & hoc jure nostro receptum esse, criminolus & infamis (*Cotthman. d. respon. 4. n. 65.* addit *venefica*, sed malè, sicut docebunt quæ mox subiiciam) cōtra homines publicè privatimque pro honestis antehabitos, credendum & fidendum non esse, quamvis assertionem & testimoniū contra tertium, dixerit, idq; verum esse in ipsa morte contestetur; Hæc certi & recepti juris esse ultrò fateor, & quis hoc ignoraret?

Sed addendum erat id ita certum & receptum esse *in criminibus non exceptis*, de quibus *Doctores à Cothmanno citati* expresse lo-

loquuntur: Vide si placet, à Gothmanno
legatos Gomezium. 3. c. 13. n. 16. juncto
p. precedent. 12. n. 16. 17. & 18. Farinaciū
quest. crimi 46. juncta quest. precedent. 43. n.
41. & apparebit, illos & omnes *Dd.* alios
in criminibus exceptis aliud statuere, nimi-
rum reum de se confessum *in crimine ex-
cepto, veluti veneficii*, etiam de complici-
bus interrogari posse, & sic in testem ad-
mitti; secus *in non exceptis*, in quibus quia
non potest locius de complicib. interro-
gari, adeoq; nec in illis in testem admitti;
potest, ut proinde his casib. parū referat
num reus confessus *pœnitens sit* sive mi-
nus, cum in testem omninò admitti non
debeat; non entis nulla sunt accidentia:
secus itaq; *in exceptis*, in quibus socius cri-
minis potest esse testis, Farinacius. Go-
mezius. *dd. locis*, & Criminalistæ commu-
niter.

Atque hoc posito queritur, an talis so-
cius criminis sufficienter *in exceptis* pro-
bet, tanquam legitimus testis *in non ex-
ceptis*? Super quo articulo variant *interpp.*
Et huius testimonio immane multum
tri.

142 *Qu. VIII. An plurium nominat.*
tribuit Gomezius *d. c. 12. n. 18.* & alii quorū
sententiā retuli ac refutavi *in quest. preced.*
Sanè si talis locutus denunciatus contritus
ac *pœnitens* appareat, multò firmiorem a-
pud iudicem merebitur fidem, confer
quæ dixi *in quest. preced.* quia tamen iudi-
ci certò cōstare nequit, num vera sit hæc
pœnitentia an simulata, quippe qualis
fortè possit esse ad pœnam mitiorem ob-
tinendum; inde iudex nunquam ex *solis*
eiusmodi denuntiationibus personā no-
minatam *condemnat*, quam tamen si hæc
denuntiationes *plurium* sint, maximè in
foro exteriori *pœnitentium*, salva consci-
entia *torqueri* jubere potest.

Et ut hoc addam, *quoad torturam* non
requiri existimo ut *iudex* priusquam hæc
decernat, de Sagarum denuntiantium
pœnitentia ac cōversione sit omninò cer-
tus, sufficiet namq; si ei ex confessione sa-
cramētali, accedentibus aliis signis exterioribus
Sagam ex animo pœnitere *verisimi-*
liter cōstet; Unde si saga indurata penitus
sit, confessionemq; sacramentalem aver-
setur, ac nulla pœnitentiæ signa appare-
ant;

at, hoc casu iudex ex plurium nomina
ne sine aliis indiciis, nominatum tor-
re non subiiciat, quicquid etiam novè
serat & defendat Delrio. *d. libr. 5. in ap-
nd. 2. qu. 3.* Et valdè adhibito, an ita per
tam torturam expurgetur infamiæ vitiū,
quo Sagæ laborant, ut illis etiam manife-
sto impœnitentibus tuto credendum sit,
icuti vult Delrio *d. q. 3.* Sanè vix ego di-
xerim torturam per se solam valere ad in-
clinandum maleficæ animum, ut nocen-
tes solum, non etiam innocentes denun-
tiet, ac ideo nisi postea, de externa quoq;
constet pœnitentia, non (valerim iudici,
ut ob solas denuntiationes Sagarum ma-
nifesto impœnitentium aliquem torqueri fa-
ciat, pœnitentia vero cum tortura red-
dunt iudicem securiorem in praxi, for-
tiusq; simul iuncta operantur ad præsum-
tionem tollendam, quam Sagæ contra se
habent, quod præsumantur mentiendo
bonis velle nocere.

Cæterum pro Gomezio & aliis Doctori-
bus supra citatis, quædam argumenta
possunt adferri, quæ breviter examinabi-
mus.

mus.

144 *Qu. VIII. An plurium nominat.*

mus. I. *Quod in criminibus exceptis*, etiam socii criminis pro idoneis testibus habeantur, ut ex communi tradunt Sylvester verb. *Testis. q. 1. Clarus. q. 21. nu. 3. Sa. verb. femina. n. 3. Lessius. cap. 30. num. 41.* aliiq; plures ab ipsis citati, *ex capit. finali. de testibus cogendis, & Glossa ibidem.* Etenim per torturam infamia, qua laborant, quasi expurgatur, Et ergo complicibus proinde *in exceptis*, sicuti testibus legalibus in criminibus *non exceptis* credendum, ac per consequens, ut in hisce duo *ad condemnandum* sufficiunt, ita quoq; in illis. Sed respondetur, esse quidem socios criminum *in exceptis* idoneos testes ad *probabilitatem* conciliandam, sed non ad *pariendam certitudinem*; adeoq; eorum testimonia, quod iam supra ostendimus, ad torturam aliquando posse operari, nunquam ad condemnandum.

Quare hæc regula diligenter tenenda, quam tradunt *Dd. Patavini* apud Peregrinum *d. consil. de Sagis n. 17.* ubi ita inquit: *sit hæc deniq; conclusio, quod ubi testes, si essent omni exceptione maiores, facerent fidem ad esse.*

sufficiant ad condemnandum. 149

effectum condemnationis, *hi si inhabiles*
sunt: faciant fidem ad torturam; Et ubi illi
prodesse ad torturam tantum, isti inveniunt
ad inquirendum, & ad transmittendum reo
inquisitionem, & ad capiendum personaliter
reum. Sic magistraliter *Dd. Patavini*, quod
summe notandum; Confer etiam *Fari-*
nac in quest. crim. § 6. n. 54.

Unde 2. nihil juvat sententiam *Gome-*
zii, & qui illum sequuntur, quod in crimi-
nibus *non exceptis*, testes omni exceptio-
ne maiores, si duo sint, pariant moralem
certitudinem; id siquidem de inhabili-
bus dici nequit. Et quamvis in criminib.
exceptis, tum quod crimina ea atrocissi-
ma, tum quod & occulta sint, per tortu-
ram persona complicum quasi ad testi-
monium legitime tur, id tamen procedit
hactenus, ut illis tantum quoad effectum
torturæ fides habeatur, secundum Regu-
lam *Dd. Patavinorum* iam traditam; quod
secus est in *non exceptis*, quæ & adeò im-
mania, & ita occulta non sunt, unde nec
in his socii criminum *mediante tortura* in-
terrogari, neq; testificari possunt, quod

K

no.

146 *Qu. VIII. An plurium nominat.*
notandum, & dicam de eo plenius *in quibus*
seq. de criminibus exceptis & non exceptis.

Nec item *tertio* juvat *Gomezium* quod
socii criminum solum *jure positivo* repel-
luntur à testificando. Et ergo solo *jure na-*
turali considerato, videantur habiles: Et-
enim licet hoc *jure* admittantur, attamen
non omni exceptione maiores sunt, &
reverà ipso *naturalis rationis dictamine*
inepti sunt *ad convincendum*; tamen si suo
modo ad probabilitatem conciliandam
fidem faciant.

Qua de causa *Gomezii* sententiam,
ex principiis quidem *intrinsecis*, practice
probabilem existimare non possum: eo
maxime, quod *judex sequi debeat securiorem*
interpretationem juxta capit. Ad audientiam;
& capit. significasti. 2. de homicidio; quodque
cum sunt *partium jura obscura*, reo favendum
est potius, quam actori, *juxta regulam ii. juris:*
in 6. Et esto sit probatio huius criminis
admodum laboriosa; progrediatur ergo
judex ex multiplicatis depositionibus, si
nihil aliud obstat *ad torturam*: Esto per eam
veritatem eruere non potuerit, & sic alii
qui

quæ noxii elabentur: præstat decem elabentur, quam unum innoxium condemnari: Sin autem fortè hoc casu tortus fuit innocens, potest ei solatii aliquid impendi: sed si damnatus & necatus, quod tu mortuo præbeas cataplasma? Ita eleganter Delrio. *d. lib. 5. sect. 5. n. 4.*

Quod verò ispe ibidem dicit contrarium communius teneri & in praxi obtinere, de eò valdè addubito: Sanè constat præter Gomezium & paucos supra citatos, eam sententiam vix alios defendere, unde vetus Farinac. *d. qu. 43. n. 39.* hanc nostram vocat *communem Doctorum opinionem*; Nec etiam aliud in foro ulpianæ, quod sciam, in hoc crimine est usu receptum, idque si reciperetur, non dubito, quin ea certissima futura esset ad exitium plurimorum innocentium via:

Quare nec undiquaque probatur, quod ex Binsfeldio, & aliis notavit Valentia *disp. 6. q. 13. pun. 4. § 4.* in huiusmodi criminibus atrocibus, natura sua secretis, probationem per conjecturas, & indicia & denuntiationes complicum, etiam si-

148 *Qu. IX. An plurium Sag. nominat.*
ne propria rei confessione, sufficere quidem ad condemnandum, sed poena mitiori, quam ordinaria. Sed pergo.

QUÆSTIO IX.

*An Plurium Sagarum nominationes
sufficiant ad tortu-
ram?*

DUbiū tertium hoc est, ac quidem principale quod hodiè circa Nominationem in quæstionem venit, an plurium nominatio ad effectum *tortura* sufficiat? Et est hoc de articulo duplex Doctorum *sententia*. Sufficere plurium nominationē absq; aliis indiciis vel adminiculis, multi NEGANT ut *Blanch. Grammat. Natta. O fasc. Mascard. Bursat. Bertaz.* & alii, quos allegat *Farin. de indic. & tort. d. quæst. 43. n. 34. 35. & 36.* quibus adde *Felin. Crauet.* & alios, quos citat *Delrio lib. 5. disquisi. Mag. quæst. 1. concl. 2. in append. 2.* qui generaliter, tam de criminibus non exceptis, quam in exceptis statuūt, depositiones plurium sociorum criminis non facere iudicium ad tortu-
ram